

# Notio Thomistica Satisfactionis Vicariae Jesu Christi Mediatoris\*

**T**RADITA notione etymologica satisfactionis, ejusque natura bene determinata, utile erit brevem quaestionem historicam ponere, qua demonstratur quomodo terminus *satisfactio* usurpato incoeperit ad opus Christi redemptivum designandum, eo vel magis quod vox *satisfactio* ab Ecclesia adhibetur ut formula officialis ad Redemptionem a Christo pro salute hominum peractam, significandam.

Neminem latet vocem *satisfactio*, iam primis Ecclesiae temporibus ad opera poenentialia significanda esse adhibitam. Nam Tertullianus<sup>(28)</sup> verbum *satisfactio* e jure Romano sumpsit et operibus poenentialibus applicavit, quem secuti sunt omnes Patres Latini<sup>(29)</sup>. Usque ad tempus nuper elapsam, communiter admittebatur verbum *satisfactio* a S. Anselmo introductum primitus esse in theologia Redemptionis. Hanc communem adsertionem tamen in dubium verterunt imprimis Protestantes et etiam his ultimis temporibus aliqui theologi catholici, qui opera SS. Patrum scrutantes verbum *satisfactio* invenerunt, et uti volunt ipsi, in sensu S. Anselmi. Jam scripserat cl. Rivière<sup>(30)</sup>, quod solum circa finem saeculi XI, a Radulpho Ardente, vox *satisfactio* ad opus Christi redemptivum, in sensu Anselmiano applicabatur, non tamen modo speciali ejus morti attribuebatur. Etenim Radulphus in homilia quadam, quatuor Incarnationis beneficium enumerans, scilicet exempli exhibitionem, amoris pignus, satisfactionem pro culpa primi parentis, expiationem humanae superbiae per Dei humiliationes, dicit: "Tertia causa est ut de prima praevaricatione satisfaceret. Illa autem praevaricatio fuit superbia tanta, ut se elevaret mente homo usque ad aequalitatem Dei. Cum vero contraria contrariis curantur, oportuit ut ad satisfactionem illius superbiae aliquis homo humiliaretur ab altitudine divinitatis usque ad humilitatem hominis. Hoc autem nemo

(\*) Huiusce quidem dogmaticae quaestionis primam partem iam edidimus in nostro Vol. VI, No. 2 (1953), pp. 65-78.

(28) De patientia, XIII, P. L. 1, col. 1269-1270; De oratione, XXIII, id., col. 1191-1192; De poenitentia, V, id., col. 1234-1236.

(29) L. Richard, Sens Théologique du mot *satisfaction*, Rev. de Sciences Religieuses, vol. VII, 1927, p. 87.

(30) La Rédemption, Étude Historique, Paris 1905, p. 289 et sq.

potuit facere, nisi esset Deus et homo. Propterea Deus factus est homo" (31).

Paucis annis e.apsis, idem cl. Rivière(32), quaerens primaeam applicationem termini *satisfactio* operi Christi redemptivo, invenit iam ante S. Anselmum et Radulphum Ardentem verbum *satisfactio* operi Christi redemptivo applicatum esse, in libro Sacramentorum Liturgiae Mozarabicae.

Attamen quaestio nondum finem habuit. Nam, post duos annos, cl. Galtier(33) classicum textum apud S. Ambrosium invenit, ubi verbum *satisfactio* absolute sensum hodiernum theoriae satisfactionis habet. Iste textus sic se habet: "..... Christus pro peccatis nostris satisfaciebat Patri". Galtier textum hunc cum alio praecedenti univit et sic concludit: "Sicut peccator dicitur, poenitendo, satisfacisse pro delictis Domino Deo suo (34), ita Christus dicitur in Passione sua pro nostris peccatis satisfacisse Patri(35). J. Rivière(36) crism huiusce Ambrosii textus a Galtier inventi instituit, in quo omnia elementa formulae anselmianae satisfactionis vicariae invenit, nempe verbum specificum *satisfacere*; subjectum cui satisfactio datur: *satisfaciebat Patri*; et etiam objectum circa quod satisfactio versatur: *pro peccatis nostris satisfaciebat*. Animadvertit quoque ipse Rivière, Galtier optime notasse, redemptivum actum Christi, pro peccatis nostris patientis, ex omni parte aequiparari illi poenitentis, qui peccata sua expiat. Sequens usum traditionalem, S. Ambrosius peccatori dicit: "proposuisti satisfacere Domino Deo tuo", et de Christo dicit: "pro peccatis nostris satisfacisse Patri". Revera, concludit Rivière, desiderari non potest symmetria magis perfecta tam in conceptibus quam in terminis(37).

Propugnat quoque Rivière hanc Ambrosii expressionem contextui minime contradicere, sed e contra cum vocabulario ibi adhibito optime conjungi. Nam in initio commentarii Christus, secundum dictum Petri(38), ut peccata nostra suscipiens et, cum

(31) In Dom., pars I, hom. X, P.L. 1., col. 155, col. 1700-1701.

(32) Bulletin de littérature ecclésiastique, Nov. 1924, pp. 361-365.

(33) De Incar. et Redemp., Parisiis, 1926, p. 390.

(34) S. Ambr., in Ps. 37, 46, P.L. 14, col. 1033, B.

(35) S. Ambr. ibid., 53, P.L. 14, col. 1036, C.

(36) De la satisfaction du Christ chez S. Ambroise, Bulletin de litt. eccl. 1927, p. 163-164.

(37) Bull. de litt. eccl., loc. cit.

(38) I Petri, II, 24.

S. Paulo<sup>(39)</sup>, ut pro nobis Ipse peccatum factus repraesentatur. Idem Salvator, ut in eodem actu Passionis dicitur postea, Deo Patri satisfacere pro peccatis nostris. Ergo Christi *satisfactio* nihil aliud est quam modus annuntiandi characterem mortis suae redemptivae. Certissime haec est nova expressio, fontibus tamen magis authenticis revelationis scripturae correspondet, ideoque facilis est explicatio modi introductionis huiusce aptae formulae in scholis necnon in formulis fidei officialibus<sup>(40)</sup>.

Non obstantibus his omnibus, longum silentium per sex centos annos auctorum Ambrosiorum posteriorum eundem Rivière inquietat. Apud ipsum, est problema quomodo formula *satisfactio*, tam commoda et a S. Ambrosio auctore valde cognito adhibita, potuisset remanere incognita.

Ex alia parte, dicit, hoc commentarium ab omnibus Ambrosio tribuitur; attamen haec Ambrosii phrasim circa quam quaestio versatur, non habet, secundum Rivière, necessariam connexionem cum contextu immediato; proinde valde dubitatur utrum sit glossa adjuncta an revera ad Ambrosii genuinum textum pertineat. Ad hanc difficultatem solvendam dicit, requiri vel editionem criticam operum S. Ambrosii vel ulteriores inquisitiones, quae tam longum temporis spatium Ambrosiorum inter et Anselmum disrumpant.

Attamen nobis videtur magis conveniens dicere quod, donec probetur phrasim, a Galtier inventam, esse glossam posteriorem decursu temporis in genuino S. Ambrosii textu sero introductam cumque eo admixtam, possumus imo affirmare debemus phrasim ad genuinum Ambrosii textum pertinere. Ceteroquin rationes a Rivière illatae minime probant sed solummodo in dubium vertunt, et aliunde iam existunt editiones criticae quas ipse ambigit ac desiderat, inter quas illa P.A. Ballerini<sup>(41)</sup>, necnon illa ultima critica Vindebonensis<sup>(42)</sup>, ubi omnino eodem modo imo absque ulla variatione vel mutatione invenitur phrasim Ambrosii a Galtier accentuata. Quae cum ita sint, concludimus dicentes apud Ambrosium jam vocem simulque aptissimam theoriam sa-

(39) II Cor., V, 21.

(40) Cfr. loc. cit.

(41) S. Ambrosii Mediol. Epis., opera omnia ad Mediolanenses codices pressius exacta, Mediolani, 1876, vol. 2, c. 278 B.

(42) S. Ambr. Opera, Explanatio Psalmorum XII, in Corpus Script. Ecll. Lat., curante M. Petschenig, Vindebonae 1919, vol. 64, p. 179.

tisfactionis in sensu Anselmiano inveniri ad opus Christi redemptivum designandum.

### De Divisione Satisfactionis

Satisfactio, uti jam diximus, est in genere justitiae et ideo debitum includit, nam satisfactio est illatae injuriae compensatio seu debiti solutio. Proinde tot sunt species satisfactionis quot sunt species debiti. Ratio debiti secundum varias species et partes potentiales justitiae variatur<sup>(43)</sup>. Unde cum debitum aliud sit legale ac strictum seu ex lege ortum, quod est debitum justitiae, et aliud morale seu decentiae, sicut est debitum fidelitatis, gratitudinis, amicitiae, item aliud est debitum universale et particulare et denique aliud primum et secundarium. Sic etiam distinguitur satisfactio perfecta seu condigna a satisfactione imperfecta seu congrua; similiter alia est satisfactio prima et alia secunda seu subsequens; item alia est satisfactio universalis et alia particularis; denique alia est satisfactio infinita, alia vero finita. Satisfactio, diximus, est illatae injuriae recompensatio, quae recompensatio, si est ad aequalitatem, est satisfactio condigna seu perfecta, quia saltem tantum valet in compensando quantum valet injuria in offendendo; et, si superat compensationem debitam pro offensa, est *superabundans*; denique, si satisfactio superat et excedit omnes limites finitos, dicitur *infinita*, quia vis eius satisfactoria numquam exhauriri potest. Si e contra non est adaequata culpae commissae, sed ex bona voluntate offensus eam acceptat ac si fuisset perfecta, vocatur satisfactio imperfecta, et si aliam satisfactionem supponit ac requirit erit satisfactio secunda seu consequens. Per se patet, satisfactionem imperfectam, secundam, particularem, finitam, non posse habere efficaciam nisi ex satisfactione perfecta, prima, universali et infinita, quia omne imperfectum supponit perfectum<sup>(44)</sup>. Et si satisfaciens pro culpa propria satisfacit, erit satisfactio personalis; si vero pro culpa aliena satisfactio vicaria nominatur.

Auctores, hanc doctrinam magis evolventes, in satisfactione duplicem formalitatem distinguunt, materiae nempe et formae justitiae. Materia justitiae habetur per pretium in quo fit recompensatio, forma vero habetur per observationem conditionum ad hoc requisitarum ut compensatio sit de toto rigore justitiae

(43) II-II, q. 80, a. unicus.

(44) III, q. I, a. 2, ad 2.

seu, uti dicitur, ad apices juris. Tum ex parte materiae tum ex parte formae satisfactio potest esse, vel perfecta vel imperfecta. Est autem perfecta ex parte materiae si valor rei vel materiae oblatae adaequet ex se in compensatione debitum; si e contra pretium seu valor rei oblatae non adaequet ex se debitum, tunc satisfactio erit imperfecta, et ut sit sufficiens requiritur ut creditor suppleat insufficientiae valoris per ejus benevolam acceptionem. Satisfactio autem dicitur perfecta ex parte formae seu modi justitiae, si actus satisfaciendi circumscribatur quinque conditionibus requisitis ad specialem et propriam justitiam, quae praeter valorem pretii vel materiae oblatae, conditiones quoque personarum attendit. Unde satisfactio ex parte formae non excludit valorem seu pretium rei oblatae, sed ipsum supponit et in ipso fundatur; nam si valor non adaequat debitum non potest dari locus satisfactionis perfectae ex parte formae. Sequitur ergo quod potest esse satisfactio perfecta ex parte materiae quin sit perfecta ex parte formae. Non datur tamen e contra satisfactio perfecta ex parte formae quin sit eo ipso perfecta ex parte materiae. Satisfactio denique dicitur imperfecta ex parte formae si deficit saltem una ex conditionibus requisitis. Quenam autem sint conditiones requisitae ut satisfactio possit dici perfecta ex parte formae statim dicemus.

### **De Conditionibus Requisite ad Perfectam Satisfactionem**

Cum sequentia dicenda sint relate ad satisfactionem Christi, oportet referamus quid auctores statuunt ut requisitum ad perfectam satisfactionem ex parte formae habendam non solum in puro homine, id est non hypostatice Verbo unito, sed etiam in Christo. Sunt enim hac de re, tres opiniones.

Opinio Thomistae et theologi communiter affirmant quinque esse conditiones requisitas ad perfectam satisfactionem ex parte formae tum inter homines tum inter Christum satisfaciendum et Deum. Conditiones sunt sequentes:—

Prima conditio est quod satisfactio sit ad alterum, id est suppositum distinctum, nam satisfactio perfecta est actus justitiae commutativae quae juxta Aristotelem et S. Thomam respicit aequalitatem inter extrema realiter distincta statuenda.

Secunda conditio est quod in satisfactione non intercedat gratia creditoris, aliis verbis, satisfactio est perfecta non quia creditor uti talem acceptat supplendo defectui valoris rei oblatae per ejus gratiam, sed quia ex se, ex eius natura satisfactio habet

valorem aequantem injuriam illatam; hoc idem est ac dicere satisfactionem debere esse perfectam ex parte materiae.

Tertia conditio est, ut satisfactio fiat ex bonis propriis debitoris, non vero alterius. Solutio enim pretii pro aliquo debito, cum vices gerat personae debitoris debet fieri de bonis in quae ipse debitor dominium habet, alter non hic sed ille qui pretium exhibuit pro debitore, dicendus erit satisfacere pro debito.

Quarta conditio est, ut quod offertur in satisfactione non sit debitum aliis titulis, id est aliis titulis justitiae: non enim repugnat quod eodem actu quis solvat debitum v.g. justitiae et debitum caritatis vel gratitudinis.

Quinta conditio est, quod creditor teneatur ex justitia acceptare satisfactionem ita ut si nolit acceptare, maneat tamen extinctum debitum. Ad hoc: ut haec conditio verificetur aliqui requirunt aliquod pactum inter creditorem et debitorem; hoc in casu pactum non debet esse favorabile addens ex favore creditoris aliquid pro sufficientia et valore compensationis. Etenim hoc destrueret rationem satisfactionis perfectae, sed debet esse pactum ad modum contractus, sicut intercedit inter conductorem et operarium.

Secunda opinio:—

Alii ut Vega, Suarez et Stentrup, dicunt quod quamvis in satisfactione Christi omnes conditiones, supra enumeratae, verificatae sint, tamen ad perfectam satisfactionem inter homines tres tantummodo requiruntur conditiones, scilicet: a) ne satisfactio fundetur gratia seu liberalitate ipsius creditoris; b) ne fiat ex bonis ipsius creditoris, sed ex bonis propriis debitoris; c) ut satisfactio fiat ex aliis indebitis(45).

Haec sententia, cum concedat in satisfactione Christi conditiones reperiri quas communiter cum thomistis requirunt theologii, non indiget speciali consideratione.

Tertia opinio:—

Vasquez denique, aliter ac praecedentes auctores utriusque opinionis procedit in hac quaestione. Vasquez enim, non distinguit perfectionem justitiae ex parte materiae et ex parte formae sed duplicem justitiam distinguit, propriam nempe et generalem. Ad perfectionem autem justitiae proprie dictae, qualis est justitia commutativa inter homines, requiruntur juxta ipsum, quinque conditiones in prima opinione iam enumeratae. Ad rigorem

(45) Stentrup, Soteriologia, vol. I, Oeniponte 1889, Thesis 7.

vero et perfectionem justitiae generalis, qualis invenitur in ratione meriti et praemii inter Deum et homines, istae conditiones non exiguntur sed sufficit quod absque favore et gratia creditoris habeatur valor aequans debitum. Sicut si quis meretur non ex propriis sed ex gratia, dicitur mereri ex rigore justitiae non tamen propriae sed generalis. Posita hac distinctione, Vasquez assertit:— "Satisfactionem Christi esse in genere meriti, scilicet ex eo Christum satisfacisse, quia perfecte meruit nobis auxilia gratiae et sanctificationem nostram" (46), et ideo concludit ipse, inter Christum satisfaciendum et Deum non intercessisse veram rationem justitiae.

Sed hoc admitti non potest. Primo, quia alia est ratio satisfactionis et alia meriti; si quando materialiter coincidunt, formaliter vero differunt, nam ut optime notat Stentrup (47): "Quum enim satisfactio obsequium dicit, quo injuria per peccatum Deo illata compensatur; meritum denotat opus dignum, cui velut merces gratiae et facultatis obtinendae vitae aeternae restitutio rependatur. Haec vero inter satisfactionem et meritum differentia ea non est, ut mutuo se excludant, adeo ut idem opus simul satisfactio et meritum esse nequeat. Quid enim impedit, quominus opus, quo iniuria illata compensatur, simul dignum sit cui velut remuneratio restitutio gratiae respondeat? Scilicet nihil, quum quod valet ad compensandam iniuriam Deo illatam, idcirco non necessario careat valore ad mercedem a Deo obtinendam, nec vicissim, quod ad hanc valet, necessario destituatur valore ad illam (48). Idem et forsitan clarius docet cl. Paquet: "Licet, communius spectata, satisfactio dici possit cuiuslibet integra solutio debiti, attamen strictius definienda est iniuriae alteri illatae compensatio. Quae cum importet poenale quiddam offenso exhibitum, patet discrimen inter satisfactionem et meritum: satisfactio enim maxime attenditur penes ipsum opus poenaliter praestitum in reparationem iniuriae, meritum vero, penes voluntatem bene operantis in alterius commodum seu obsequium; unde non omnis actio meritoria est satisfactoria, nec vice versa" (49).

**Secundo**, quia quando adest satisfactio proprie dicta, oportet dicamus eam pertinere ad iustitiam proprie dictam, non vero

(46) Jo. a S. Thoma, de Incarn., q. 1, disp. I, a. 1.

(47) Soteriologia, Thes. XXV, p. 264-265.

(48) cfr. Zubizarretta, Theol. Dogm. Schol., Bilbao 1926, V. III, p. 516, no. 866.

(49) Paquet, Disp. Theol., De Incarn. Verbi, ed 2, 1906, p. 406.

generalem. Nam satisfactio ex natura sua seu essentialiter ad hoc tendit ut reparat ius laesum; reparare autem ius laesum est obiectum iustitiae proprie dictae scilicet commutativae, ut probat S. Thomas (II-II, q. 61, a. 4), cuius doctrinam sic exponit Joannes a S. Thoma: "Quod in passionibus et actionibus iniuriosis est iustum commutativum, quod utique est iustitiae proprie dictae; cum ergo Deus habeat ius propriissimum ne offendatur ab homine, multo magis, quam homo ne offendatur ab alio, laesio huius iuris est laesio iuris proprie dicti. Unde vera et propria satisfactio ad hoc tendit et de se petit conditiones iustitiae proprie dictae, nisi per accidens ex defectu conditionum deficiat a iustitia proprie dicta et declinet in aliam speciem quae sit pars potentialis iustitiae" (50). Unde sequitur satisfactionem perfectam pertinere ad iustum proprie dictum, non vero ad iustitiam secundum generalem rationem eius.

### **Notio Vicariae Christi Satisfactionis**

Cum satisfactionem plures auctores diversimode definiverint, non semper et apud omnes clara et completa de satisfactione invenitur notio. Nam, peccati expiationem ut partem satisfactionis formalem quidam considerant, dum compensationem offensae voluntariam tanquam solam partem satisfactionis essentialem alii vero econtra existimant. Nil mirum ergo, si apud varios auctores contrarii satisfactionis inveniantur conceptus. Haec opinio in tradenda satisfactionis definitione diversitas, claritatis carentiam, ne dicam confusionem, gignit. Ista claritatis carentia quando operi Christi redemptivo satisfactionis conceptus applicatur, magis ac magis percipitur. De determinatione concreta ergo ipsius satisfactionis, agitur, aliis verbis de modo intelligendi mysterium redemptionis satisfactoriae. Haec formale quaestionis punctum diversorum satisfactionis aspectuum coniunctionem in solida doctrina theologica, sub quibus aspectibus Christi mors nobis repraesentatur, respicit. Dolores ac passionem, morti Christi characterem expiatorium conferentes, sensusque Eius internos, Christi scilicet voluntatem et caritatem quibus passio Christi actus reparatorius efficitur, specialiter haec respicere intendimus. Unum conceptum pro altero certo certius sacrificare nolumus, proportionem tamen inter illos potius determinare intendimus. Satisfactionem vicariam Christi ergo, duo

(50) Joannes a S. Thoma, de Incar., q. I, disp. I, a. 1.



elementa continere constitutiva adserere malumus, expiationem poenalem nempe ut elementum materiale, acceptationem vero huius expiationis poenalis ex Dei et hominum dilectione procedentem uti elementum formale.

Notandum est imprimis, satisfactionem Christi esse medium ad peccati reparationem a Deo ordinatum. Theologus ergo qui satisfactionis naturam comprehendere vellet, peccati analysim prius instituere deberet. Optima et ad rem sunt verba scripta a P. E. Hugon O.P.: "Cum in peccato offensa primum locum teneat et omnia alia causat, sic in satisfactione primum locum tenet reparatio iniuriae divinae" (51).

Duo in notione peccati intrant elementa: offensa quae culpam constituit, id est reatus culpae, quae aliquo modo diminutionem maiestatis divinae importat; turbatio ordinis externi quae poenam meretur, id est, reatus poenae. Unde satisfactio pro peccato nequit clare intelligi nisi recolatur ex peccato duplicem contrahi ad Deum reatum seu debitum: primo reatum culpae, ex offensa Dei personali quae inest omni peccato. Homo enim, quando peccat a Deo se avertit ideoque eum offendit atque iniuriam ei personalem infert, quatenus honorem ei denegat quo dignus est et quem strictissimo iure exigit (52). Secundo reatum poenae, quatenus praeter eam rationem offensae Dei personalis, inest omni peccato ratio violationis legis a Deo conditae; deordinationem enim illam obiectivam sibi quae iniuriosam Deus nequit non prohibere; immo eam, qua conservator ac tutor ordinis moralis debet punire, nam, nisi sevirer in delinquentes non sufficienter tueretur legem aut praecluderet eius contemptum (53). Hinc est cur peccatum consequatur debitum tum compensationis offensae Deo illatae tum poenae pro luenda seu expianda legis violatione. Satisfactio igitur est solutio vel compensatio utriusque illius debiti. Cum tamen haec solutio in ordine morali ad resarciendum ordinem moralem offensa Dei laesum, fiat, nequit esse vera et formalis nisi per voluntariam alicuius poenae susceptionem vel acceptationem, ita ut perpersionem poenae tanquam elementum materiale, voluntariam vero illius perpersionis ordinationem ad debiti solutionem velut formale habeat elementum. Pariter notari debet, in satisfactione pro offensa Dei perso-

(51) Hugon, *Le Mystere de la Redemption*, p. 176.

(52) S. Th., I-II, q. 21, a. 4; q. 88, a. 2, ad 1; *De Verit.*, q. 28, a. 2.

(53) S. Th., I-II, q. 21, a. 4; q. 87, a. 1. 3. 4; C.G., III. 158.

nam, voluntatem esse de ratione compensationis offensae. Nam qui offensus est seu iniuriam passus est ex voluntaria debiti denegatione honoris, is non potest per sui honorationem compensationem accipere, quia sit voluntaria. Compensatio enim honoris sicut et damn. materialis non fit per traditionem mere materialem rei aequivalentis; obsequium enim offerri debet quod est voluntarium et cum intentione. Permissio tamen poenae evidenter non minus est de ratione huiusmodi compensationis. Nam reparatio offensae fit, quatenus offenso aliquid exhibetur, non quod si etiam non offenso deberetur, sed quo compensatur id quod de honore ei debito ablatum erat. Jam vero, per peccatum Deo subtracta est aestimatio et appetitio, qua omni bono creato praeponatur, et haec subtractio facta est quatenus creatura bonum proprium Dei dilectioni anteposuit illumque modo inordinato quaesivit. Redintegratio proinde ordinis violati fieri nequit, nisi quatenus ille, qui per nimium sui amorem de Dei bono detraxit, nunc de suo proprio et legitimo modo detrahit in favorem Dei et ex intentione obsequium Deo praestandi. "Recompensatio enim offensae, ait S. Thomas, importat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno qui plus habet iusto, et additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte eius, nihil subtrahi possit; peccator tamen quantum in ipso est, aliquid subtrahit ei peccando, ut dictum est. Unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum nisi poenale sit; et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium oportet quod sit bonum; ut sit in honorem Dei, et poenale, et ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur" (54). Et adiungit: "Satisfactio debet esse talis per quam subtrahatur aliquid a peccante, quod in honorem Dei cedat" (55).

Omnes norunt, secundum mentem Angelici Praeceptoris, in satisfactione pro violata lege seu pro reatu poenae, poenam pariter esse debere. Voluntarium tamen etiam requiritur. Nam permissio poenae non habet per se valorem ullum moralem, nec proinde rationem satisfactionis formalem habere potest; latro

(54) Suppl., q. 15, a. I. in corp.

(55) Ibidem.

v.g. qui poenam capitis contra propriam voluntatem subit, etsi pro homicidio suo aliquo modo satisfacere dicatur, materialiter tantum tamen satisfacit; iustitiam ille subit at non facit; non ipse iustitiae, legi, legislatoris voluntati se conformat, sed iudex ab eo poenam sumit, qua iustitiae vindicatur vae satisfiat ea satisfactione, quae sola possibilis est, ubi reus renuit ipse se conformari iustitiae. Peccati ea est expiatio proprie et mere poenalis, qualis fit v.g. in damnatis; ipsa per se non tollit aut minuit debitum seu reatum poenae, siquidem non facit per se voluntatem patientis iterum conformari ordini iustitiae, ex cuius violatione debitum contractum est. "Quidquid contra ordinem aliquem insurgit, ait S. Thomas, consequens est ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur, cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat contra aliquem ordinem agit; et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur; quae quidem depressio poena est" (56). "Manente autem causa, addit Doctor Angelicus, manet effectus; unde quamdiu perversitas ordinis remanet necesse est quod remaneat reatus poenae" (57). Iamvero tandiu perversitas ordinis remanet, quamdiu reus, etiam patiens, non agnoscit poenam esse sibi debitam, eamque non acceptat ut talem; ubi vero eam ut sibi debitam voluntarie acceptat, ipse iam se conformat ordini rerum, qui exigit de violatione ordinis poenam dari, et obsequium praestat tum iustitiae tum principi ordinis qui poenam de peccato edixit. Ea autem, eaque sola est satisfactio formalis, nam ea tantum est solutio formalis debiti ex peccato contracti. "Actus enim peccati, pergit S. Thomas, facit hominem reum poenae, quae ad aequalitatem iustitiae reducit ut scilicet qui plus voluntati suae indulset quam debuit; contra mandatum Dei agens secundum ordinem iustitiae, aliquid contra illud quod vellet spontaneus vel invitatus patiatur..... Unde patet quod cessante actu peccati vel iniuriae illatae adhuc remanet debitum poenae..... Unde..... (si loquamur de oblatione peccati quantum ad maculam)..... macula peccati ab homine tolli non potest nisi voluntas hominis ordinem divinae iustitiae acceptet ut scilicet vel ipse sibi poenam voluntariam spontaneus assumat in recompensationem culpae praeteritae, vel etiam a Deo illatam patienter sustineat: utroque enim modo; poena rationem satisfactionis

(56) I-II, q. 87, a. 1. in corp.

(57) I-II, q. 87, a. 3, in corp.

habet" (58). Satisfactio, uno verbo, non est formalis nisi per acceptationem poenae voluntariam, quia per eam tantum materialis seu poenalis expiatio, valorem habet moralem Deoque grata et accepta esse potest. "In satisfactione, clare dicit divus Thomas, magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis" (59).

Post tot citationes ex variis locis S. Thomae depromptas, perutile erit ipsius opinionem circa satisfactionis Christi naturam scrutare relate ad ipsius formale elementum. Ne enim iam acta iterum repetamus diu non morabimur in probando non solum quod pro S. Thoma expiatio poenalis ex se ad elementum formale non pertinet, verum etiam quod uti tale se habet ipsa voluntas Christi voluntati Dei semper et praesertim in passione ac morte sua perfecte conformis. Iam ex omnibus dictis hoc manifestum factum est; attamen breviter et quasi compendium totius doctrinae cum ipsomet S. Thoma dicimus: "Aperte distinguitur poena simpliciter dicta seu satisfactio a poena satisfactoria: poena dupliciter potest considerari, simpliciter et satisfactoria. Poena quidem satisfactoria est quodammodo voluntaria....." (60). Unde per quasi applicationem ad satisfactionem Christi, ipse S. Thomas addit: "Satisfactio pro peccatis alterius habet quidem, quasi materiam, poenas quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animae, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet; non enim esset satisfactio, nisi ex caritate procederet.....; et ideo oportuit animam Christi perfectam esse quantum ad habitum scientiarum et virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi: et quod corpus eius esset subiectum infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non deesset" (61). Unde satisfactio vicaria in suo facto considerata et etiam quatenus Christus voluit per opera eiusdem generis ac nos satisfacere, i.e. per opera poenalia, poena servet in satisfactione sua, characterem poenalem quem habet apud nos, et se habet in satisfactione ut elementum materiale, ita ut informetur ab elemento formali i.e. in caritate et amore Christi satisfaciendi a quo elementum materiale i.e. dolores et perpassiones Passionis ac Mortis vivifi-

(58) I-II, q. 87, a. 6.

(59) III, q. 79, a. 5.

(60) I-II, q. 87, a. 7.

(61) III, q. 14, a. 1, ad 1.

cantur ac informantur. Iterum S. Doctor ait : "In satisfactione dum quis ad placandum eum quem offendit, voluntarie poenam assumit..... Unde quoad Christum satisfaciendam, sciendum est quod mors Christi virtutem satisfaciendi habet ex caritate ipsius, qua voluntarie mortem sustinuit..... nullus ergo est actus caritati perfectior, quam quod homo pro amore alicuius etiam mortem sustineat..... sic igitur invenitur Christus mortem sustinens pro salute hominum et ad gloriam Dei Patris, Deo maxime oboediens fuisse, actum caritatis exequendo..... Complacuit ei (Deo) qua ex caritate Christus mortem suscepit" (62). Quaerens S. Thomas quomodo Passio Christi per modum satisfactionis nostram salutem causaverit, ad ipsam acceptationem mortis appellat : "Primo quidem propter magnitudinem caritatis". Aequalitas ergo in ratione satisfactionis vicariae attenditur inter offensam per peccatum hominum illatam quam Deus oderit, et recompensationem honoris quam Christus ex caritate et oboedientia patiendò, Deo exhibuit; quam recompensationem Deus magis dilexit quam oderit offensam, quia maior haec fuit quam exigeret offensae recompensatio totius humani generis" (63). Etenim "Tantum bonum fuit quod Christus **voluntarie passus est**, quod propter hoc bonum in natura humana inventum, Deus placatus est super omni offensa generis humana....." (64).

Ad confirmandam hanc doctrinam libenter adderemus quod in hoc elemento morali inquirendum videtur formale satisfactionis et quasi nextus medius totius operis redemptionis; ex quo totum illustratur et in quo coniunguntur omnes aspectus mysteriorum. Notamus Sanctum Thomam ad hoc devenisse ut ad formale clementum varios modos scrutans, quibus Christus nos homines redemit. Passio meritoria est, non ex hoc quod habet principium ab exteriori, sed secundum quod Christus eam voluntarie sustinuit; sic habet principium ab exteriori; et hoc modo est meritoria (65). Passio ex parte occidentium ipsum maleficium fuit; sed ex parte ipsius (sc. Christi) ex caritate patientis fuit sacrificium (66). Hoc ipsum quod voluntarie passionem susti-

(62) Contra Gentes, IV, 55, ad 13, 16.

(63) III, q. 48, a. 2.

(64) III, q. 49, a. 4.

(65) III, q. 48, a. 1, ad I.

(66) C.G., III, 158.

nunt Deo maxime acceptum fuit, utpote ex caritate maxima proveniens: unde manifestum est quod passio Christi fuerit verum sacrificium satisfactorium et non sine destructione vicimae, consecuta in doloribus passionis et mortis Christi.

Hucusque enim solos Angelici Doctoris textus, potius elemento morali satisfactionis faventes, ad examen revocavimus. Hoc non obstante, ex istis locis clare eruitur quod pro S. Thoma, satisfactio non solum voluntatem respiciebat, qua Christus paratus erat omnia damna ex offensa peccati illata, reparare, sed videtur poenam in Christo, qua recompensatur iniuria Deo, per peccatum hominum illata, respicere. De facto pergit S. Thomas: "Passio Christi secundum quod consideratur in carne Christi, agit per modum satisfactionis in quantum per ipsam liberamur a reatu poenae" (67). Uti patet, agitur de elemento poenali satisfactionis Christi. Et ut satisfactio magis sit perfecta, in ambobus elementis, S. Doctor docet: "Non solum attendit quamvis virtutem dolor eius haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem" (68).

Verumtamen hic logice quaestio venit: Quomodo se habet poena in Vicaria Christi satisfactione secundum Angelici Praeceptoris genuinam doctrinam? Estne quid secundarium, ita ut, secundum ipsum, posset auferri salva manente satisfactionis notione, vel econtra pertinet poena essentialiter ad ipsum constitutum Vicariae Christi Satisfactionis? Si tamen intret in constitutum satisfactionis Christi, quomodo? Haec quaestio, ut ita dicam, iam soluta est in primo capite huius quaestionis, propterea nec iuvat hic multum immorari. Sufficeret enim aliquos Doctoris Communis textus hanc quaestionem clarificantes afferre.

Ut bene observat P. Synave (69), quamvis elementum formale in satisfactione sit elementum voluntarium et morale, tamen elementum poenale primo se repraesentat, quia in ipso manifestatur elementum morale: et hoc docet S. Thomas quando dicit: "Secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi agit per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur a reatu poenae" (70). Apud S. Thomam ergo, susceptio debiti seu

(67) III, q. 48, a. 6, ad 3.

(68) III, q. 46, a. 6, ad 6.

(69) Vie de Jesus, t. 3, p. 256.

(70) III, q. 48, a. 6, ad 3.

poenae nostrae patet ad veram essentiam vicariae Christi satisfactionis pertinere. Nam dicit Divus Thomas: "Christus de statu culpae assumpsit necessitatem subiacendi poenalitatibus huius vitae" (71). "Conueniens fuit enim corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus corpus assumptum et defectibus subiacere..... primo..... quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit dum poenam pro peccato alterius debitam in se suscipit..... Unde conueniens fuit..... quod huiusmodi poenalitates in nostra natura susciperet vice nostra" (72). Insuper "Conueniens fuit Christum mori..... ad satisfactionem pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum..... est enim conueniens satisfaciendi pro alio modus, cum aliquis se subicit poenae, quam alius meruit. Et deo Christus mori voluit, ut moriendo pro nobis satisfaceret" (73). Et iterum, "Quia absque peccato erat, mortem peccato debitam pati voluit, ut in se poenam aliis debitam pro aliis satisfaciendo susciperet" (74).

Prae oculis pariter oportet habeamus apud S. Thomam utique non expressis verbis recompensationis naturam inveniri determinatam. Attamen attente inspicenti clare videtur S. Thomas semper docere voluntatem Christi satisfaciendi in poena **Passionis** ac **Mortis** contineri ac aperte manifestari. Et quidem poena voluntaria, scilicet a caritate ipsius Christi satisfaciendi informata, tali modo ut voluntas Christi Deo honorem iterum redintegrandi nosque redimendi sese invicem in Christo compleant et quid unum efficiant, vicariam nempe satisfactionem; quia poena sine voluntatis consensu, forma constitutiva et propria verae satisfactionis careret et mera esset satisfactio. Ex alia parte, non satis manifestaretur aspectus voluntarius in Christi satisfactione, si poena omitteretur. Quare scripserat S. Thomas: "Inutile esset corpus Christi subiectum esse infirmitatibus, si deinde materia satisfactionis (scilicet poena) deesset" (75). Hanc doctrinam multis in locis docet Divus Thomas (76). Nos heic brevitatis

(71) III, q. 13, a. 3, ad 2.

(72) III, q. 14, a. 1.

(73) III, q. 50, a. 1.

(74) C.G., IV, 55, ad 19, et cfr. ad 20; III Sent. dist. 19, q. IX, a. 1.

(75) III, q. 14, a. 1, ad 1.

(76) De Rationibus Fidei, VII.; Comp. Theol., c. 226, 227; III. Sent. dist. 20, q. 1, a. 4; q. 2, sol. 4; IV. Sent. c. 55

gratia illos afferre omittimus. Unde, quin longius proferatur menis Divi Thomae, in hoc tali valoris et efficientiae ordine haec duo elementa in opere satisfactorio intervenisse, secundum eius doctrinam, videntur; Christus satisfecit "primo propter magnitudinem caritatis qua *patiebatur*; secundo propter dignitatem vitae suae quam *pro satisfactione ponebat*, quae erat vita Dei et hominis; tertio propter *generalitatem passionis et magnitudinem passionis et magnitudinem doloris*" (77). Et ita perfecte completur et coronatur tota vita terrestris et satisfactoria Christi, quae, a primo instanti conceptionis eiusdem Christi, quo in mundum ingrediebatur Deo Patri promittens: "ut facerem Deus voluntatem tuam", defectibus assumptis, incommodis patienter toleratis, usque ad ultimum vitae momentum quo exclamavit: "Consummatum est", nihil aliud fuit nisi actus voluntariae oboedientiae et spontaneae suiipsius oblationis in reparationem et remissionem peccati. Constat ergo omnino satisfactionem Christi sub duplici respectu quem habet ad Deum includere debere quidem poenam ut elementum materiale, at simul etiam ut elementum formale habere acceptationem voluntariam illius poenae illiusque ordinationem ad solvendum Deo debitum. Unde sic potest recte defini *Satisfactio Christi cum cl. Paquet: Reparatio iniuriae voluntaria Deo per peccata hominum irrogatae et solutio poenae debitae* (78).

Hinc sequitur: a) Poenae perpersionem materiale pertinere quidem ad satisfactionis Christi essentiam, non eam tamen solam, nec formaliter illam constitutere; b) Satisfactionis definitionem adaequatam non esse, quae vel perpersionis poenae vel eius ad Deum ordinationis non habeat rationem; c) Deum tandem satisfactionem posse exigere et gratam habere non praecise qua et quia est perpessio poenae materialis sed qua et quia est confessio tum sui iuris tum ordinis moralis, cuius ipse principium est ac tutor. "Deus enim, ait S. Thomas non delectatur in poenis propter ipsas, sed delectatur in ordine suae iustitiae, quae hoc requirit" (79). Similiter in de Veritate dicit S. Thomas: "Quod Passio Christi non esset satisfactoria, nisi inquantum est voluntarie ex caritate suscepta.....: quia ipse motus caritatis patientis, qui est in superiori parte rationis,

(77) III, q. 48, a 1.

(78) Dr. Paquet, op. cit., pag. 406.

(79) I-II, q. 87, a. 3, ad 3.



respondet in satisfactione ad id quod fuit in culpa secundum superiorem rationem" (80).

Notandum quoque est, hanc Christ. satisfactionem vere esse vicariam, quia Christus non pro suis sed pro nostris satisfacere Patri. Satisfactio namque dicitur vicaria, quando fit ab uno pro altero. Differt ergo satisfactio vicaria a satisfactione in genere per tantum quod qui poenam subit, non ipse eam meruit; qui debitum solvit, non ipse illud contraxit; qui offensam compensat, non ipse illam intulit; reus ergo non est, at vices agit reus in satisfactione praestanda. Definiri ergo potest: "Voluntaria permissio alicuius malae ex intentione impetrandi alteri alicuius debiti condonationem. Debitum illud potest esse vel offensae resarciendae vel poenae ob delictum luendae; intentio vero potest esse vel compensandi offensam vel poenam infligentem placandi, ut reo condonet, vel etiam ut accidit in Christo, obtinendi utrumque simul. Christus enim intelligitur obisse mortem ex caritate, id est, tum ex gloriae Patris subredintegrandae zelo, tum ex dilectione erga genus humanum in gratiam et amicitiam Dei restituendum. Unde clare patet Satisfactionem vicariam non esse: a) assumptionem debiti vel culpae unius ab altero. Hoc enim repugnat intrinsece, nec iuvaret, sed potius impediret satisfactionem. Valor enim satisfactionis eo maior est, quo maior dignitas et innocentia satisfaciens est; offenso scilicet et eo gratius est obsequium praestatum quo minus a satisfaciens debetur. Tunc enim magis videtur illud procedere formaliter ex intentione compensandi offensam; b) non esse proprie et formaliter poenam aut punishmentem pro reo inflictam: nam puniri proprie et formaliter dicitur de eo tantum, qui ipse reus sit et causam in se habeat unde poena infligatur. Unde ait S. Thomas: "Si loquamur de poena simpliciter, secundum quod habet rationem poenae, sic semper habet ordinem ad culpam propriam" (81). "Si ergo, addit Angelus, loquamur de poena pro peccato inflictam in quantum habet rationem poenae, sic solum unusquisque pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est" (82). Ille proinde qui, sine ullo suo debito, poenam solummodo ex caritate pro reo assumit, dici sane potest aliquo modo puniri pro alio, nam

(80) De Verit., q. 26, a. 9. sol. 2. in contra.

(81) I-II, q. 87, a. 7.

(82) I-II, q. 87, a. 8.

patitur materialiter poenam alio debitam, sed tamen illa poena non habet pro illo rationem poenae; ubi quis, ait S. Thomas, patitur poenales alteri debitas, si ipse est particeps culpae huiusmodi poenales defectus habent rationem poenae quantum ad utrumque scilicet et eum qui punitur et eum pro quo punitur; si vero non sit particeps culpae, habet rationem poenae quantum ad eum solum pro quo punitur" (83).

Denique notandum est satisfactionem vicariam inter reum et satisfaciendam aliquam veram solidaritatem supponere, quae naturalis quoque esse potest, qualis datur inter cognatos, inter Christum et homines ratione humanitatis. Haec solidaritas debet esse saltem moralis, per unionem scilicet voluntatum qua amans, velit pro amato satisfacere. Nam dicit S. Thomas: "Quia contingit eos, qui differant in reatu poenae esse unum secundum voluntatem unionem amoris, inde est quod interdum aliquis qui non peccavit poenam voluntarius pro alio portat; sicut etiam in rebus humanis videmus quod aliquis in se transfert alterius debitum" (84). Addit quoque: "Dicendum quod, si loquimur de poena satisfactoria, quae voluntarie assumitur contingit quod unus portat poenam alterius, in quantum sunt quodammodo unum" (85). Ex parte vero eius qui offensam passus est, vel legislatoris qui poenam indixit, acceptatio illius substitutionis supponitur, acceptatio scilicet ut, propter praedictam solidaritatem, alius pro alio satisfaciatur.

Luce meridiana patet hanc thomisticam notionem satisfactionis Christi vicariae toto coelo differre ab impia Theoria expiationis propria et simpliciter poenalis. Iuxta hanc theoriam enim, vis placativa et liberativa in Passione et Morte Christi proveniebat ex debito quod ipsemet Christus habuit perpersionem et poenas patiendi. Haec doctrina duobus modis potest intellegi: sensu nimirum absoluto, id est, ac si Christus vindictam Dei pro peccato et quidem poenam damni sustinere deberet. Hanc doctrinam olim defendebant ac praedicabant Protestantes. Haec opinio sic clare invenitur expressa apud Zwinglium: "Cum ergo Deus iustus sit et misericors tametsi ad iustitiam propendat..... iustitiae tamen eius omnino satis-

(83) I-II, q. 87, a. 8.

(84) I-II, q. 87, a. 7.

(85) I-II, q. 87, a. 8.

fieri ut iratus placetur oportet" (86). Haec doctrina tamen ita est impia ac sensui christiano repugnans, ut ipsi Protestantes illam neglegant imo et despiciant (87). Doctores catholici uti haeresim infectam illam judicaverant et ab initio impugnaverant (88). Attamen si haec doctrina consideratur in sensu relativo, aliter intelligenda est. Nam hoc sensu Christus describitur Deum placasse, quia passus est certum poenae gradum seu certam peccati poenam, quam Deus iudicavit esse necessariam ad satisfactionem pro peccatis. Hoc modo saepe saepius etiam catholici locuti sunt, satisfactionem exponentes Deo Patri exhibitam. Christus tantum passus est quantum, dato delictorum numero et gravitate, requirebat iusta Dei severitas. Esset valde longum haec loca oratorum sacrorum citare. Plura exempla inveniuntur apud Rivière (89). Saepe etiam haec oratorum exaggeratio est mere rhetorica ac poetica quae ad commovendam auditorum pietatem et gratitudinem aptissima est. Attamen quia ignorantibus aut male dispositis scandalum facere aut errore ingerere potest, melius et rectius vitetur. Unde P. Ed. Hugon O.P., potuit scribere: "M. Rivière, a pu avec raison critiquer certaines formules outrées dont les orateurs de l'expiation pénale n'ont pas su se défendre" (90).

Satisfactio Christi vicaria sumpta in sensu protestantico, esset magis satisfactio quam satisfactio: Christus Deo persolvere summam dolorum ab ipso taxatam ut in amicitiam illum recipere posset. Repugnat autem Deum alligasse huiusmodi conditionem nostram liberationem a peccato. Hoc enim supponeret satisfactionem esse perpeccationem mali qua talem seu dolorem ei valere atque gratum esse qua dolor est, ita ut tanta praecisa esset satisfactio quantum malum esset a satisfaciente toleratum: quod tyrannum forte deceret, qui terrere praecise vellet, minime vero eum ordinis tutorem, qui per poenae acceptationem velit imprimis satisfieri iustitiae morali.

Alius ergo est conceptus Thomisticus et proinde catholicus

(86) De Vera et Falsa Relig., cit. a Rivière, Bulletin de litt. eccles., Juil.-Oct. 1934, p. 183.

(87) cfr. Stentrup, Soteriologia, thes. 21, p. 234 et sq.; Rivière, Etude Théologique de la Rédemption, p. 395-401.

(88) S. Rob. Bellarmino, De Christo lib. 4, cap. 8; Suarez, De Mysterioris Vitae Christi, disp. 33, sec. 1.

(89) De la Rédemption, Etude, Historique, p. 8-9.

(90) Revue Thomiste, Janv.-Fevr. 1912, p. 96.

satisfactionis Christi vicariae. Ante omnia, ut iam diximus, haec satisfactio solidaritatem inter Christum et genus humanum supponit. Voluntatem et acceptationem huius solidaritatis ex parte Dei pariter supponit. Ita sicut per Adam: peccatum omnes homines peccaverunt et poenae debitores effecti sunt, ita etiam in Christo patiente et per passionem suam iniuriam Deo illatam omnes homines resarcivit, in quantum Christus per fidem habent ut caput, suum debitum Deo persolvisse genseantur. Supponit pariter Christum iniquitates nostras habuisse sibi a Deo impositas, seu peccata nostra suscepisse atque pertulisse, non hoc sensu quod unquam a Deo desierit esse Patri suo dilectissimus, sed hoc sensu quod Deus Christum ipse fecerit, qui libera sua voluntate acciperet munus satisfaciendi pro peccatis hominum, propterea libere assumeret poenalitates seu infirmitates propter peccata iis inflictas. Eo ipso enim quod Christus hoc officium libere suscepit ac Deus hanc eius voluntatem ratam habuit, iure potest dici Deus Christo imposuisse iniquitates et Christus pertulisse peccata de quibus iam eius onus erat et Dei consensus ut compensatio fieret per poenam peccati voluntarie assumptam.

Secundum hanc doctrinam ergo, satisfactio adscribitur in concreto Passioni et Morti Christi, at constituitur formaliter voluntaria illius acceptatione, ita ut huius satisfactionis passio et mors sint elementum vere quidem constitutum sed materiale. Elementum formale admittitur esse voluntatem Christi obsequium Deo praestandi, ideoque offensam recompensandi per eam, etsi personaliter indebitam, legis mortis observatione. Admittimus ergo Christum materialiter peccatum expiare, quia revera illam poenam subit, quae contra peccatum statuta est; at quia illam subit libere, ideo expiatio eius non est proprie poenalis sed formaliter satisfactio. Et revera, poena peccati sic a Christo suscepta est formalis susceptio debiti, si quidem Christus illam subit quia et qua a Deo propter peccatum decreta est. Eo ipso autem est etiam formalis compensatio offensae Dei personalis, nam Christus, mortem adundo praecise ac tantum quia ex Dei voluntate est, se exhibet divinae voluntatis observantissimum; cum posset incedere Deo aequalis, se prae illo usque ad mortem deprimat. Iamvero oboedientia et sui abnegatio, cum procedat tum ex zelo et amore divinae gloriae, tum ex detestatione offensae Deo illatae, tum ex amore generis humani in Dei amicitiam restituendi, Deo non potest non esse

tantae, imo et maioris complacentiae quam fuit ei displicentia offensa omnium peccatorum. Hinc intelligitur Catechismus Romanum ad parochos docere<sup>(91)</sup>: "Poenam peccatis nostris debitam persolvit", et theologos, qui in Concilio Vaticano primum schema de Doctrina Catholica confecerant, de satisfactione vicaria subiunxisse adnotationem ubi aiebant: "Homo Christus non punitus est eo sensu quo poena proprie significat malum inflictum reo in vindictam culpae ab ipso contractae. Sed Christus ipse voluntate etiam humana vadem se constituit coram Deo ad satisfaciendum Deo offenso pro culpa et poena totius humani generis. Si igitur nomine poenae significatur laboriosa satisfactio pro delictis hominum quorum caput et vades Christus erat constitutus, ipse sane pro nobis et vice nostra poenas sustinuit<sup>(92)</sup>. Sic satis patet doctrinam de Christo satisfaciente per peccati expiationem vicariam pertinere ad ordinariam et explicitam Ecclesiae praedicationem.

Quamvis haec doctrina expiationis vel substitutionis poenalis ad ordinariam Ecclesiae praedicationem pertineat, theologis non semper arridet. Rivière<sup>(93)</sup> inter alios Theologos, recte theoriae substitutionis poenalis rigidam applicationem cum suis excessibus reiicit. Nam iuxta hanc theoriam poena vicaria Christi esset elementum principaliter in Passione ac Morte a Deo intentum. Tunc enim consideratur peccatum mere ut exterior et materialis disordinatio, quam poena reparare sufficit. Insuper dolor nimium momentum tribuitur, quasi non esset in se semper formaliter aliquid malum. Poena, nisi sit simpliciter vindicativa, non autem expiatoria, nullam significationem habet, sine interna peccati retractatione morali. Conceptus igitur expiationis vel substitutionis poenalis iuxta Rivière Passioni et Morti Christi applicandus est, sed conceptum satisfactionis ut fundamentum supponit. Ad explicandum mysterium Passionis et Mortis Christi ad theoriam satisfactionis recurrit cl. Rivière<sup>(94)</sup> et citat textus Scripturae, Patrum et Scholasticorum, ubi Mortis Christi libertas eiusque valor moralis in luce ponuntur. Oraerit deinde quare Christus pati voluerit, cum per quodlibet obsequium peccati reparari potuisset. Rem explicat S. Thomas,

(91) De Symbol., art. 4, q. 23, 5.

(92) Collectio Lacensis, t. 7, p. 543, nota 33, 3.

(93) Les conceptions catholiques du dogme de la Rédemption in "Revue pratique d'Apologetique", Art. 15, Oct. 1912.

(94) Op. cit., art. 1, Nov. 1912.

dicens: "Non solum attendit quantam virtutem dolor eius haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem" (95). Etenim ait Rivière, practice, valor moralis actuum nostrorum iuxta objectivam difficultatem quae eis inest, et subiectivitas animae sensus quos provocant, mensuratur. Iam vero, in Passione, humana natura Christi, quae a morte abhorrebat (96), se totam abnegavit, crevit Christi religio erga Patrem, excellentissimum amoris pignus nobis praebeuit quod admirationem et amorem nostrum excitat; unde haec Passio coram Deo maximum valorem habuit et infinite meruit. Explicat quoque Rivière quomodo Deus mortem Christi praecipere potuerit. Inde a peccato vita hominum semper laboriosa est; ipsi innocentes humanae malitiae consequentis obnoxii sunt, imo illi qui maxime iusti et sancti inveniuntur de ea quam maxime dolent. Propterea voluit Deus Christum nobis perfecte assimilari, per exemplum suum nobis Evangelii praxim ostendere, et post se in reparationis viam efficacius nos homines trahere. Ita perfecte reparatur peccatum et sapientissimum apparet Providentiae consilium. In hoc cum Rivière plene consentimus, ab opinione ipsius totaliter dissentimus tamen, quando nimis in elemento morali satisfactionis insistit, elementum poenale quasi ut aliquid secundarium ponens. Nostro iudicio, hic et Rivière excessum theoriae expiationis et substitutionis poenalis vitare cupiens in contrarium excessum incidit. Characteris dolorosi satisfactionis in generali convenientiam iam alibi ostendimus. Per opus laboriosum et grave convenit obtineri poenae remissionem, melius praecavetur relapsus in peccatum; et homo peccator se in statu quam maxime congruo erga Deum ponit, iustitiam eius et sanctitatem melius agnoscens, maioremque peccati horrorem conspiciens. Cum ipso etiam dicimus satisfactionem non totaliter et plene pulchritudinem et profunditatem mysterii Passionis et Mortis Christi explicare ac continere, quamvis prae ceteris praeferrî. Ab eo dissentimus cum dicat dolorem et poenam in satisfactione Christi esse clementum non quidem essentiale et constitutivum, sed quasi integrans et secundarium. Sane elementum morale in satisfactione elemento poenali est nobilior sicut anima nobilior corpore in homine est;

(95) III, q. 46, a. 6, ad 6.

(96) III, q. 46, a. 6 in corp.

et sicut verus homo absque corpore haberi non potest, ita similiter satisfactio Christi vera concipi non potest sine doloribus et perpeccionibus Passionis ac Mortis ipsius Christi. Proinde doloris et poenae in satisfactione Christi nobis videntur, saltem iuxta decretum divinae Providentiae, constituere elementum essentiale et constitutum quidem, quamvis materiale et non formale in Passione Christo, nam optime dicunt Thomistae, quod quamvis Christus sufficienter meruit ad nos redimendos a primo Instanti suae conceptionis, tamen de facto Christus nos redemit per caritatis actum, dolores et mortem patiendo, id est, sustinendo dolores et mortem materialem per caritatem informatas, quia alioquin aliquis juste objiceret cum S. Thoma: "Superfluum est mereri quod ante meruerat". Ex hoc nobis licet concludere dolores et poenas in Passione ac Morte Christi elementum essentiale constituere, materiale tantum et non formale. Unde cl. Rivière, cum aliquibus aliis, male ordinat elementa satisfactionis. Revera si Satisfactio Christi, sicut ab istis auctoribus exponitur, conciperetur, vere theoria satisfactionis vicariae involveret difficultates a P. D'Ales S.J., enumeratas. Nam si satisfactio hoc modo determineretur, faciliter aliquis posset insistere supra elementum integrans cum detrimento elementi essentialis vel vice versa, insistendo scilicet supra reparationem poenalem, et dolores et poenas Passionis et Mortis Christi in secundario loco reponunt, sicut accidit ipsi P. D'Ales et aliis auctoribus. Sufficit quod aliquis super offensam maiestatis divinae vel necessitatem reparationis nimis insistat et consequenter detrimentum facit characteris spontaneitatis et benevolentiae Passionis ac Mortis Christi, et simul independentiae essentialis Dei, omnium rerum creatoris. Similiter extollendo exaninationem Verbi, difficilis evadit captui gloria Dei in ista prodigiosa exaninatione. Idem dicendum est si fit insistencia ad aequalitatem stabiliendam inter offensam et honorem reparatorem, quia sic Deus indebite figuratur vel representatur sicut meticulosus arithmeticus, quod est valde inconveniens. Item si quis valde insistit in poena expiatrix unice vindicem et ultorem de Deo facit<sup>(97)</sup>. Et contra si in satisfactione Christi tum reparatio moralis tum expiatio poenalis ponuntur ambo ut elementa constitutiva et essentialia, prima tamen ut elementum formale secunda vero ut materiale elementum, eviterentur omnes

(97) D'Ales, Le dogme de la Redemption, Les Etudes, 20 Avril. 1913.

difficultates supra enumeratae, et theoria satisfactionis vicariae immunis evaderet ab omni lamentabili depravatione. Nam satisfactio sic concepta formaliter exprimit amorem et generosam voluntatem pro nobis qua Christus tanta tormenta sustinere voluit, simulque dolores et poenas ut elementum materiale constituit, quae ab amore et caritate Christi informatae efficiunt aliquid unum inseparabile, nempe mirabilem Passionem Christi et Mortem eius in Cruce, quae in tantis perpersionibus ab eius ardentissima caritate inflammabatur.

Ex dictis ergo constat quanto iure Christus dicatur nos redemisse per modum satisfactionis. Mors eius fuit vera satisfactio vicaria seu vice nostra ab ipso oblata et a Deo acceptata: fuit vera expiatio peccati, quatenus qui nihil habebat sibi luendum, peccati poenalties humano generi communes, et mortem in specie, assumpsit quia in poenam peccati erant. Pleno ergo iure satisfactio Christi sane dici potest pretium redemptionis pro nobis a Christo solutum. "Nam, dicit S. Thomas, ipsa satisfactio qua quis satisfacit sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redimit a peccato et a poena secundum illud Danielis (c. IV. v. 24): Peccata tua elemosynis redime. Christus autem satisfecit, non quidem pecuniam dando aut aliquid huiusmodi sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis" (98).

ALANUS M. FENECH, O.P.